Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2037
Quelle:
Copyright:

breves vel Adparatus potius homileticus in plurima *Epistolarum Paulinarum* loca, quorum initium est ab illo *Rom.* 13. *Hora est jam nos de somno surgere*, ubi sic orditur Orator: *Hoc tempus dicitur tempus aduentus. quia cantus ecclesie sunt de aduentu.* &c. Noli tamen credere, Autorem temporis ecclesiastici filum sequi. Ad finem aliquorum Sermonum remittit ad Tractatum *de pace et gwerris*, item *de commendatione gratie* et *de Auaritia.* Quinam hi Tractatus, et an Autoris proprii?

Ad Codicem compingendum adhibitae sunt Partes cujusdam Catalogi Bibliothecae per *Bankos* Seculo XV. descriptae nihil notabile continentis, et Membrana mutila data *Pragae 1401. in Kaczano*, qua jubentur cuidam M. *Nicolao* in Ecclesia *Nyssensi* (Silesiae) Capellam administranti persolvi Decimae.

DCCCXXX.

C. 992 Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. nunc 8. est enim initio mutilus, forma 4. maj. nitide, luculenteque scriptus, olim *Antonii Folch de Cardona* Archiep. *Valentini* ex O. S. F. qui Senatus *Italici* Praeses obiit *Viennae* 1724. et cum ejus Bibliotheca redemtus a *Carolo* VI. Imp. Liturgicus est, et *fol.* 1. e Ritu sacros Ordines conferendi nil amplius exhibet, quam ordinationem *Subdiaconi*, cujus prima verba: *archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanili ac manutergium.* Dein sub Rubrica quadrata: *Ad Subdiaconum Ordinandum. Ordinatio Subdiaconi. Benedictio Subdiaconi*, sequuntur ea, quae legere est in *Sacramentario Gregoriano* T. II. *Liturgiae Rom. Ludov. Muratorii col.* 421. ita tamen, ut Noster omnia singulari numero efferat, et quaedam habeat, quae castigatiora videntur *Muratorianis*, non obstante ejus lectione varia. Ita melius: *De ipsis oblationibus*, quam: *De ipsis in oblationibus.* Melius: *putridum in sacrario*, quam: *putridum in sacramento.* Melius fortasse: *in substratorio*, quam: *in substentorio.* Melius: *aqua — debet uergi*, quam: *mergi.* Haec in prima; in tertia vero Rubrica sive *Benedictione* melius: *Spiritus consilii*, quam: *auxilii*, et quaedam minutiora, quae variant. *Fol.* 2. p. 1. alia sed coaeva currente manu: *In Assumptione Sanctae Mariae.* Nempe Missa *Gregoriana*, ut *l. cit. col.* 114. praevia tamen Oratione: *Concede nobis omnipotens deus ad beatæ mariæ semper uirginis gaudia eterna pertingere* &c. quae Exemplo *Muratorii* defuit; apud *Pamelium* tamen *Liturg. Eccl. Lat.* T. II. p. 330. reperitur pridie Festi *ad Vesperos* inscripta. Adest insuper *Praefatio*, quam cum apud Autores consultos ad hoc Festum non repererim, huc transferre visum est. *Qui nos mirabile misterium et inennarrabile sacramentum per uenerabilem mariam seruare docuisti. In qua manet intacta castitas. pudor integer. firma constancia. Nam in hoc se matrem domini fuisse cognouit. quia*